Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 97

Quelle:
Copyright:

&c. Finis: *a quo ut laudari mereamur in futuro. concedat ipſe propitius. nos eum dignis in preſenti uita collaudare ſeruitiis. Amen.* Plura deſcripſi; arbitror enim me ignotum hactenus *Haymonis* in *Proverbia* Commentarium deprehendiſſe. Nam et *Codex* totus eadem manu decurrit, et ut Commentarium Viri hujus in *Cantica* praecedere vidimus, ita videbimus ea ſubſequi, quae is in *Apocalypſin* congeſſit. Nemo quidem diſerte adſerit, eum *Proverbia* tractaſſe, ait tamen *Trithemius n.* 257. multa eum praeter ea, quae nota ſunt, ſcripſiſſe, *Sigebertus Gemblac. c.* 135. multa expoſuiſſe, denique *Fabricius Bibl. med. Lat. L.* VIII. p. 182. e Chronico mſ. *Joh. Winnigſtadii* hoc de eo teſtimonium excitat:

Explicat ingenio Biblia tota *ſuo.*

Laudabilem igitur locabunt operam Bibliothecarum Praefecti, ſi in excutiendis ſcriniis ſuis Expoſitionis hujus rationem habuerint, quam integram fortaſſis et *Haymonis* inſignitam nomine deprehendent.

III. *fol.* 22. p. 2. absque inſcriptione *Apocalypſis S. Johannis*, hinc inde gloſſis adſperſa, et ad illius calcem *fol.* 40. p. 2. pariter *ἀνεπιγράφως Expoſitio*, cujus Prooemium incipit: *Johannes apoſtolus et euangeliſta a domino chriſto electus atque dilectus. in tanto amore dilectionis ab eo eſt habitus* &c. Expoſitio ipſa hoc tenore ſequitur: *Johannes apoſtolus propter inſuperabilem euangelizandi conſtantiam a domitiano ceſare in exilio in pathmos inſulam religatus* &c. et ſic progreditur usque ad verba: *Mittens per angelum*, ubi in *Haymonis* Commentarium infra referendum, impreſſumque *Colon.* et *Pariſ.* 1531. 8. incidit; legitur enim ulterius: *Iſte angelus in figura chriſti apparuit beato iohanni* &c. Nequaquam tamen totum deſcripſit *Haymonem* Librarius, ſed carptim proceſſit usque ad C. XVII. v. 7. in quo ſcribere deſiit.

XLIII. VIII. Q. 14.

Codex membraneus lat. Sec. 590 XII. Folior. 168. 4. nitidiſſime exaratus, coloribusque varius diverſos S. Scripturae Libros complectitur, hoc quidem ordine: I. *Incipit Liber Job.* Textus Vulgatae, nulla tamen *Verſuum* diſtinctio, neque illa *Capitum* diviſio, quae hodie obtinet. Ad calcem minio: *Explicit liber iob. verſus T. dcctos. habens; Incipit proſa.* Haec *Proſa* nil eſt aliud, quam judicium, quod *Hieronymus* in *Epiſt. ad Paulinum* de *Jobo* tulit; unde etiam ſubſcribitur: *Hęc Jeronimus de Job.*

II. *fol.* 22. *Incipit liber yſaię prophetę.* Eadem conditione, qua praecedens. Ad calcem: *Explicit yſaias propheta. verſ.* IIII. *d. lxxx.*

III. *fol.* 64. praemiſſis *Euſebii Canonibus* nitide delineatis, abs-